

domini Ludolfi jurabit, quod primo anno ante compositionem hujusmodi quingenta malcia de bonis eisdem soluta fuerunt et hac certitudine ambo erunt contenti. Item Ludolfus promisit fide media et juramento firmavit, quod renunciabit omni juri quod habuit vel habere videbatur in castro Stenvorde cum omnibus suis attinentiis. Renunciabit preterea omni actioni et impetitioni que *ansprake* dicitur, que possent ei competere in bonis supra memoratis et hec in presencia nostra et aliorum quam plurimum renunciatio facta est. Ipsum renunciationem faciet in *vrienthinge*<sup>7)</sup> et coram duce et alias, ubi fuerit requisitus. Pro renunciatione autem hujusmodi sine contradictione aliqua et efficaciter facienda dominus Engelbertus Osnaburgensis episcopus et dominus Otto comes Tekeneburgensis et dominus Hermannus de Monasterio et domnus Widekindus de Scowenborg et dominus Thomas de Thetten<sup>8)</sup> se fide media obligarunt. Item si alter istorum absque herede decesserit, alter alterius heres erit, salvo tamen usufructu uxoris utriusque pro estimatione boni viri. Item si mater domini Ludolfi de Stenvorde separari vult ab eo et querit usum fructum in bonis, tam dominus Ludolfus de Stenvorde, quam nepos suus de bonis proportionaliter respondebunt eidem. Item si Ludolfus disceptare voluerit cum avia sua de usufructu contra dominum Ludolfum de Stenvorde, comes Tekeneburgensis cum omni forcia sua adheret eidem domino Ludolfo de Stenvorde. Item comes Tekeneburgensis promisit fide media cum militibus suis, quod si Ludolfus contra ordinationem et compositionem hujusmodi dominum Ludolfum de Stenvorde vellet in aliquo molestare, ipse persona, rebus, castro et omni potentia adheret eidem domino Ludolfo de Stenvorde. Item si alteruter istorum aliquid de bonis suis vendere voluerit, sibi emenda prius adinvicem exhibebunt. Ut autem hec ordinatio ab utraque parte libere et voluntarie approbata et hinc inde fide media confirmata et a Ludolfo jurisjurandi sacramento roborata rata et inconvulsa permaneat, diligenter ipsam et fideliter conscribi fecimus et sigillorum nostrorum munimine roborari. Acta sunt hec anno incarnationis Dominice M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>XL<sup>o</sup>; VI<sup>o</sup> Kal. Februarii; presidente sedi apostolice papo Gregorio nono; regnante Romanorum imperatore Fratherico; tenente cathedram episcopalem Ludolfo Monasteriensem episcopo in ecclesia Greven. Testibus subnotatis iam clericis quam laicis, nobilibus et ministerialibus magistro Alardo et magistro B . . . . sancti Pauli canonicis, Fratherico sancti Lutgeri scolastico, Bernardo sancti Lamberti plebano Monasteriensi, magistro Hugone canonico Metelensi; nobilibus: G(otfrido) et S(imone) de Ghemene, Ludolfo de Dicke, Bernardo de Dhrivorde, Gotscalco de Lon, Arnolfo de Thethen,<sup>9)</sup> Godefrido de Elen, Wicholdo de Saltesberghe: ministerialibus; Bernardo de Meinhuvele<sup>10)</sup> et Fratherico fratre suo, Hermanno de Monasterio, Hermanno Werencen et filio suo Svethero, Gerlaco Bitter,

Gerlaco de Beveren, Ludolfo de Netherlo, Nicolao dapifero de Benthem Gotscalco de Rene, Rodolfo de Rene, Henrico de Bermentlo, Aspelano de Hopengen,<sup>11)</sup> Johanne et Henrico fratribus de Le[c]den,<sup>12)</sup> Henrico de Havekesbeke, Johanne de Bekehem, Arnolfo de Willen et aliis quam pluribus.

<sup>1)</sup> Lugerum de Vechte B. — <sup>2)</sup> Brederek B. — <sup>3)</sup> Korede B. — <sup>4)</sup> Iedegorbere B. —  
<sup>5)</sup> Daveleppant B. — <sup>6)</sup> Herde B. — <sup>7)</sup> Vridinge B. — <sup>8)</sup> Dchten B. —  
<sup>9)</sup> Dhetheim B. — <sup>10)</sup> Meinhovele Bernardo B. — <sup>11)</sup> Opeugen B. — <sup>12)</sup> Legden B.

Von den 9 ursprünglich angehängten Siegeln war zu Jungs Zeit das erste (Ludolfs von Münster), das dritte (Ottos von Tecklenburg), das vierte (Balduins v Bentheim), das fünfte (Ludwigs von Ravensberg), das siebente (Wigbolds von Holte) und das achte (Heinrichs von Dalen) theils ganz, theils zerbrochen erhalten; er bildete sie auf Tafel I u. II ab.